



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

**Tit. XXI. De offficio Primicerii, Sacristæ & Custodis.**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](#)

sitd oculus Episcopi appelleatur, d.c. Ad hæc vers. format. & ubi quales eligi debeant. Quatenus autem vi-  
tem in epistola, & Concil. Trident. Sess. 13, cap. 12, de re-  
stant, vide infra tit. de censib. §. ult.

## DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

## TITULUS XX.

## §. 1. Archipresbyter quis dicatur.

**A** Rehipresbyter, id est, Princeps sive pri-  
mus Presbyterorum, à plerisque Decanus  
appellatur, & Adhuc & Archipresbyteri Ext.  
De officio Archid. Hic ex decreto Concilii Tole-  
stani super omnes Presbyteros in ordine Pres-  
byterali positos, curam agit animarum: bujus  
est assiduū in Ecclesia stare, & in Episcopis sui  
absentia ad vicem ejus Missarum solemnia cele-  
brare, & collectam dicere, aut cui ipse injunxe-  
rit, c. 2, Ext. De officio Archipresb. qua explicatus re-  
consernitur in c. 2, & c. 3, Ext. eod.

§. 2. Archipresbyterorum duplex genus, & de officio  
utriusque.

Quæ quidem propria sunt Archipresbyteri Ur-  
bani, id est, in urbe constituti. De Rurali verò,  
sive ruri constituto, ita Synodus Ravennatensis:  
Ut singulæ, inquit, plebes Archipresbyterum ha-  
beant propter assiduam erga populum Dei cu-  
ram, quin non solum imperiti vulgi sollicitudinem  
gerat; verum etiam Presbyterorum, qui per mi-  
nores titulos habitant, vitam jugi circumspe-  
ctione custodiat, & quæ uousquisque industria  
divinum opus exercet, Episcopo suo renuntiet,  
tex. in e fin. Ext. eod.

## DE OFFICIO PRIMICERII, SACRISTÆ ET CVSTODIS.

## TITULUS XXI.

## §. 1. Quæ spectant ad officium Primicerii.

**A**D Primicerii (qui & Cantor sive Præcen-  
tor dicitur, Hostiens. in Summa h.t.) cu-  
ram pertinet, ut in docendo præsit Diaconi-  
nis & aliis Ecclesiæ ministris, lectionesque distri-  
buat Diaconis ad nocturna Clericorum officia ex-  
c. unico Ext. De offic. Primicerii, ubi & latius.

## §. 2. Quæ ad Sacrissam.

Sacrissæ (qui & Thesaurarius dicitur) incum-  
bit custodia sacerorum vasorum, vestimentorum  
Ecclesiasticorum, sive totius thesauri Ecclesia-  
stici, nec non eorum, quæ ad luminaria perti-  
neant, cap. 1, Ext. De offic. Sacrissæ.

## §. 3. Quæ ad Custodem.

Ad Custodem verò reliquarum rerum Eccle-  
sie cura spectat; speciatim verò, ut Archidiaco-  
ni jussu ad Canonicas horas signa tintinnabulo-

rum det, item pallia & linteamina altaris seu cun-  
cta utensilia Ecclesiæ indefinèter custodiat,  
lampades & laternam accendendo seu extingue-  
do pervigil existat, text. est in cap. 1, Ext. De offic. cu-  
sod nec nos panem & vinum omni tempore præ-  
paratum ad Missam habeat, c. 2, eod.

§. 4. Clausula ad hunc & duos præcedentes  
Titulos.

Hic tamen meminisse oportet, ea, quæ de offi-  
ciis Archidiaconi, Archipresbyteri, aliorumque  
diximus, & si quæ similia sunt, in quibusdam Ec-  
clesiis aliter quandoque observari: quod mini-  
mè absurdum videri debet, cum locorum con-  
suetudines, ubi rationabiles sunt, juri scripto de-  
rogare possint, cap. Dilecti 4, Ext. Dearbitris, cap. 2,  
Ext. De consuet. l fin. C. De emancipat. Addo quæ dixi-  
mus de conjectud supra tit. de juris non scripti partib.